



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illustrium Virorum Poemata**

**Amstelodami, 1672**

Ad Flavium Chisium Alexandri VII. Pont. Opt. Max. Fratris Filium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11215**

## A D E U M D E M,

*de hesterno fulmine.*

Cesserat atra fames Latio, T E, Maxime Princeps,  
 Vindice, & horribilis, sed sine clade, lues;  
 Cùm miseræ nondum placatus Jupiter Urbi,  
 Illam majori devovet exitio.  
 Pallentem immittit morbum, quo Flavius æger  
 Detinuit multos anxia corda dies.  
 At Juvenem egregium populis donare coactus,  
 Arripuit tandem tela trifulca manu.  
 Irrita sed pariter ceciderunt fulmina, & iram  
 — Numinis ante tuos deposuere pedes.

A D

FLAVIUM CHISIUM  
 ALEXANDRI VII.  
 PONT. OPT. MAX.  
 FRATRIS FILIUM.

P hæbus ubi primùm revehit cum luce labores,  
 Redux ab orbe suaveolentis Indiæ,  
 Ejus ab aspectu pendet prænoscere sollers  
 Ligur magister atque arator Appulus,  
 Quid pelago campisque niger denuntiet Eurus,  
 Orionisque triste sidus apparet.  
 Nam si nubilus obducatur caligine vultum,  
 Uterque cautus abstinet periculo;

Sint

Sin autem extulerit nebulis rosea ora fugatis,  
 Hic alligare vomerū boves, at hic  
 Solvere velivolam properat de litore puppim,  
 Rates & æquor execrante conjuge.  
 Haud aliter te, qui priscum genus indole pulcrâ,  
 Et ore, suavibusque moribus refers,  
 Ut nitidum os, FLAVI, divino lumine vidit  
 Recentis extulisse more fideris,  
 Suspexit Roma, estque animo prudente futuri  
 Dies sibi augurata candidissimos.  
 Latè humiles terras animo nam despicias altò,  
 Cupidinūque vulgus impotentium  
 Sub pedibus premis, infelix quibus acta juvenus  
 Tumet furente pejus Adriatico.  
 Unus amor recti, virtutis te decor unitis  
 Juvat, pudorque comitasque Chisia:  
 Degeneremque vocas, veterum qui jactat avorum  
 Iners propago nomen atque imagines.  
 Quare hominum studia, ac dulces ante omnia Musæ,  
 Novam micare quando spem vident sibi,  
 Erexere animos. Tu Divas excipe blando  
 Domesticam secute gloriam sinu.  
 Scilicet Augusti referentem nomen & artes  
 Virum memento sanguinis decus tui.  
 Qui nisi regali jussisset mente beatum  
 Patère limen hospitale vatibus,  
 Egregios ut avos, & avos numeraret avorum,  
 Ut esset ampla res, opesque Chisæ,  
 Frigidus, heu, mutusque foret sine nomine pulvis,  
 Per ora nec volaret inclytus virum.  
 Quamquam operæ precium priscorum ingentia non est  
 Referre facta Patrum, ubi præit suis

Maximus auctor ALEXANDER, qui cum pietate  
 Suâque forte robur æquat ingenI.  
 Ille vides ut sapè jubet secedere curas,  
 Onusque ponit, & reclinat in finum  
 Musarum. Hæ folio nimirum cum Themide ipsa  
 Sororibusque pulcer assident chorus.  
 Credo equidem: neque enim ingeniis fuit hospita sacris  
 Pudor vireta linqere & jugum biceps  
 Pro Vaticano, pro dulci colle Quirini,  
 Ubi perennis aura veris intepet.  
 Nec minùs interèa populis assuesce regendis,  
 Id approbante, qui benignus imperI  
 Te vocat in partem rerumque arcana, secutus  
 Quod omnium supremus arbiter Deus  
 Suadet, ALEXANDRI qui res, & facta reliquit  
 Sibi, suoque temperanda numine:  
 At regere imperio volucres elementa ministros,  
 Polumque jussit, & rotare sidera.  
 Jamque decus, patrio tibi quod promittitur astro,  
 Et expetita fervidis Quiritium  
 Votis alma dies aderit, cum Romula pubes  
 Metu soluta, tristibusque naniis,  
 Te proceres inter Latios, spem Tybridis altam,  
 Honore cernet eminere debito.  
 Mox linquentem urbem comitabitur omine læto  
 Iter precata molle; seu jubeberis  
 Ire Alpes ultra, seu te committere ponto,  
 Etrusca præter & volare litora.  
 Olim namque tibi Regum componere dextras  
 Deus reservat, & ligare mutuo  
 Fœdere in excidium Thracum, tua jussa sequente  
 Per æquora alta me, per Alpium juga.

Tum

Tum mihi, tum magnis pia vatibus arma viciffim  
 Canentur arma, fortiumque dexteræ,  
 Queis feret auspicius Solymæo dona sepulcro  
 Ab occidente vectus hospes ultimo.  
 Medus ALEXANDRO tunc demum ac Thracia supplex  
 Sacros fidelis osculabitur pedes.

C L E O P A T R A  
 I N H O R T I S V A T I C A N I S

A D

C H R I S T I N A M,

*Suecorum, Gothorum, Vandalorum Reginam.*

S I te spectaclum infelix, si tristia tangunt  
 Fata meæ duro benè sculptæ in marmore sortis,  
 O nostros dignata lares invifere mundi  
 Cardine ab extremo, patriâ regnoque relictis,  
 R E G I N A, herôum nulli virtute fecunda,  
 Aurea quos olim tulit ætas, maxima Olympi  
 Numina cùm humanos non dedignantia cætus  
 Tecta frequentabant mortalia, castaque gentis  
 Pectora non falsæ complebant laudis amore;  
 Huc ades. Illa ego sum Latiis celeberrima fastis  
 Femina. Nosti angues, animumque in morte ferocem,  
 Quò properas? Saltem alloquio solare dolentem  
 Reginam Regina; nec est indigna videri  
 Forma loci, & sacris regio gratissima Musis,  
 Quæ nemo hoc, fontesque colunt, jugaque alta, viretis  
 Cyrrhæ posthabitis, & verticibus Parnassi.

Hic